

cent: utraque enim poena puniri adulsum qui peccato actuali obnoxius decedit, originali licet dimisso, constans est.

Sed illud hic addendum, in Decretorum Codice Dist. iv. de Consecrat. cap. iii. definiri, originale peccatum puniri *ignis aeterni semipaterno suppicio*. Quod quidem Decretum, velut perspicuum adeo expressumque, Innocentiano illi, anticipi valde et ambiguo, praefereendum iudicamus.

Rationes modo in loco posteriore congestas diluamis. Prima quidem sic in obicients intorquetur: licet parvuli noxam originalem actu propriae voluntatis non contrahant, eorum nihilominus voluntas a summo bono, quod appetit, cum poena ac tristitia diuellitur: igitur poterit quoque illorum sensus ignis poenam experiri, licet proprio sensu non deliquerint. Deinde responderet: cuicunque peccato, actuali videlicet, et originali, quum Deo summo bono displaceat, debetur, si Deus velit, omnis poena, etiam *infinite acerba*, si posset dari, vt loquitur D. Thomas (15). Tandem, omnis poena quae actuali primi homini peccato debetur, originali ceterorum peccato infligi posse ex ea ostenditur, quod peccatum in Adamo actuali, posteris est originale: imo qui haec obiectant Theologi existimant, originale peccatum esse omnibus propriam, quoniam omnium voluntates in Adam censembarunt. Quod si hoc sufficit ut parvuli propria voluntate peccauerint, et non sufficiet etiam ut in proprio sensu tormenta patiantur?

Ratio etiam secunda in obicients intorquetur. Quod originis peccatum naturae vitium sit, non personae, non euincit quin haec persona sit peccatrix, debeatque ad tartara damnari; ergo nec efficit ut haec persona gehennae poenam non sentiat. Est itaque originale peccatum naturae vitium, non personae; hoc scilicet pacto, quod induxit illud sit Protoparentis voluntate, qui communem naturam vitauit; non, quod propagatum per Adami voluntatem, non sit vere proprie omnium posteriorum culpa.

Tertia ratio falsa omnino est: falsum siquidem est omnino, Adae posteros ipsius peccati non agere poenitentiam. Nonne enim mors, huiusque vitae calamitates omnes in poenam originariae noxae sunt? Nonne et admonet Catechumenus, priusquam baptismatis iauacro regeneretur, se esse Dei inimicum, ac sub potestate doemonis esse? Parvuli quoque nonne poenitentes suo modo sunt, *quam per ver-*

(15) In II. Dist. xxxii. quæst. 1. art. 5. ad 2.

verba gestantium, Diabolo et huic saeculo renunciare monstrantur, vt Augustinus ait (16)?

Vltima ratio sic soluitur: fatendum principio, parvulos ob originale peccatum voluntatem a Deo auersam habere; nec posse gehennæ poenam ferre patienter; ast neganda illatio inde ducta: non enim sequitur, quod debeant mox in Dei odium ac blasphemias prorumpere, et eandem cum peccatoribus scelestissimis malitiis habere, ac ab eadem in omne scelus abipi; nisi Bui haereticum commentum quis velit reproducere (17). Quid quod, si ex quo moleste pueruli sensus poenam sustineant, illico eos blasphemare dicendum; quum agre etiam, et moleste damni poenam sustineant, blasphemos eos dicere ob hanc quoque aduersari coguntur.

Scandalum autem ex hac opinione sequutum, quod oblectant, non videmus. E contrario sentimus, ex huiusc Augustini assertio- nis diuulgatione plurima bona et commoda haurienda. Neque enim adeo audacter rustici praegnantes vxores caederent; neque tam frequenter compressae puellæ abortus curarent, vel similia tentarent. Haberetur insuper plenior culpa originis, eiusque demeriti notitia; et ex ea, quam ferum acerbumque sit actualium criminum suppli- cium plenius dignosceretur. Sed finem his constituamus.

LIBER IV.

Qui diuinam ordinationem, electionemque hominis in finem considerat.

CAPVT I.

Deus particulari prouidentia aliquos ad gloriam eligere demonstrat:
Solos item sic electos consequi salutem.

Datur in Deo aliqua electorum ad gloriam pradestina-
tio: atque hi soli salutem aeternam consequuntur.

Loquitur propositio de prouidentia illa Dei speciali, generalem
Tom. II. Pp. Dei

(16) In I. de peccat. merit. cap. 19. (17) Proposit. 48. et 49.

Dei vniuersalemque voluntatem supponens, qua omnium hominum salutem vult, vt alibi argumentati sumus. Habet vero illa vel maximum in Scripturis praesidium. Praeprimis apud Matth. xxv. vbi iis qui in extrema mundi die a dextris erunt, dicurus Christus Dominus dicitur: *venite benedicti Patris mei; possidete regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi, seu, Augustino interprete, ante mundum, et ante omnia tempora.* Nonne enim a dextris Christi tunc erunt electi omnino omnes quibus a constitutione mundi, sive ex aeternitate paratum regnum Christus ipse affirmat? Generali ne solum et antecedente voluntate paratum? Hoc an non et maledictis, qui in laeva erunt, a Deo paratum? Nam et hi beatitudinis aeternae capaces a Deo facti, in salutis viam directi, ipsius communia auxilia oblati, quibus vere possent vitam adsequi beatam. Ergo aliquibus tantum, benedictis nempe in dextra positis, paratum a Deo regnum efficaci voluntate, ac rato proposito.

Validius tamen illud est, quod sumitur ex Apostoli verbis ad Rom. viii. videlicet: *quos praedestinavit, hos et vocavit; quos autem vocavit, hos et iustificauit; quos autem iustificauit, illos et glorificauit.* Quae verba sic S. Thomas apposite exponit (1): *praedestinatio autem Dei irrita esse non potest, secundum illud Isai. xiv: inravit Dominus exercituum dicens: si non ut putauit ita erit, et quomodo mente tractauit, sic euenerit.* Primum autem in quo incipit praedestinatio impleri, est vocatio hominis etiam haec vocatio est efficax in praedestinatis, quia huiusmodi vocationis assentiuntur: vnde secundo ponit iustificationem. . . . Haec autem iustificatio etsi in aliquibus frustretur, quia non perseverant usque in finem, in praedestinatis tamen numquam frustratur. . . . ceterum Deus ergo quosdam ad gloriam efficaciter elegit, quos et efficaciter vocavit, ac iustificauit.

Scripturatum auctoritatibus pedissequa ratio accedit. Enim nihil est aliud praedestinare quam creaturam rationalem ad aeternam vitam praeeligere: at Deum plures ad aeternam vitam praeleggisse ipsa fide edocemur, quae multos reapse a Deo in requiem beatissimum adsumi testantur: Deus ergo vere aliquos ad gloriam praedestinavit.

Quod autem soli a Deo sic electi salutem aeternam consequuntur, abunde etiam ex Scripturis constat. Dicitur siquidem Matth. xxii. quod illi qui non sunt ex numero electorum mittentur in tenebras

extiores. Itemque cap. xxiv. nullum dari medium locum electos inter et reprobos. Tandem cap. xv. electis regnum coeleste promittitur, paratum a constitutione mundi. Soli igitur illi saluantur.

Sed decretorum in re ista illud est, quod Christus ipse ait Matth. xxv: *qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.* Illud etiam quod Paulus scribit, II. ad Thimot. ii: *non corronabitur nisi qui legitime certauerit.* Si enim solis in finem usque perseverantibus obuentura salus est, nec aliis corona reddenda, quam quorum constant fuerit, et ad mortem usque productum certamen; consequitur necessario, solos sauros futuros esse praedestinatos, nec alias aeternam vitam consequenturos, quam quos ex aeternitate Deus elegit.

Confirmant id ipsum Patres. Augustinus quidem, qui contra Julianum disputans (2), affirmat, ex duobus parvulis ante mortem vnum baptizari, alterum non baptizari, eo quod vaus sit praedestinatus, non alter. Ac Julianus obiciunt Apostoli locum, videlicet: *bonitas Dei ad poenitentiam adducit*, haec responderet: *verum esse constat, sed quem praedestinavit adducit.* Atque alibi clarius (3): *neque hos moueat, quod filii suis quibusdam Deus non det perseverantiam.* Absit enim ut ita esset, si de illis praedestinatis essent, et secundum propositionem vocatis, qui vere filii sunt promissionis. Ergo Augustino docente, nemo vnuus perseveraturus est, nemo vnuus saluandus, qui non sit de numero praedestinatorum. Et haec est communis omnium Patrum sententia, quemadmodum et Tridentini Concilii (4).

Eam quoque ratio suadet: vel enim saluandi qui non sunt praedestinati, sola naturali arbitrii virtute gloriam consequentur, vel aliquo supernaturalis gratiae adiutorio: primum qui admisserit, Pelagianorum haeresim manifeste proficiebitur: qui autem secundum affirmauerit, continuo praedestinationem aliquam fatebitur: non enim media conferuntur nisi ratione finis, neque graria nisi ratione gloriae. Si igitur omnes per gratiam salutem consequantur: iam salus erit praedefinita, velut per gratiam comparanda.

COROLLARIA.

Sequitur hinc, multiplicem esse praedestinationem, eamque va-

illis designatam vocabulis. Quemadmodum enim est praedestinatio ad bonum, de qua habuimus quaestionem; et est praedestinatio ad malum, non quidem culpae, sed poena. Quo sensu dictum fuit a Concilio Valentino Canone iii: "fidenter confitemur praedestinationem electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem." Sed ipsa praedestinatio ad bonum alia est ad finem, alia ad media. Prima est Dei propositum conferendi creaturis rationalibus gloriam. Secunda autem Dei propositum eisdem elargendi gratiam, ac possimum finalem perseuerantiam. Insuper et praedestinatio ad gratiam duplex apud Scholae nostrae Theologos est, videlicet, vel ad gratiam sufficientem, vel ad gratiam efficacem.

Adpellatur vero praedestinatio ad gloriam variis nominibus; scilicet, *Dilectio*, *Electio*, *Propositum*, *Discretio*, ac *Praeparatio* et quidem habita ratione eorum quae in Scripturis leguntur.

Sequitur rursus, optimam esse praedestinationis explicationem ab Augustino traditam (5), vbi ait: "praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur." Quam nos praescientiam absolutam dicimus, ab efficaci decreto pendente contra *Medistas* eam conditionatum adpellantes. Huic vero explicationi ad finem illam putamus, quam D. Thomas tradidit scribens (6): "est ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae."

Tandem sequitur, in Praedestinationis vocabulo particulam *prae* temporis praecminentiam designare, et non dignitatem tantum. Dicitur enim I. ad Coriath. ii: *Praedestinavit Deus ante saecula*. Et ad Eph. i: *Elegit nos ante mundi constitutionem*. Ratio quoque suadet, non posse diuinae voluntatis propositum, quum actio divina sit, aeternum non esse: est vero praedestinatio propositum eiusmodi.

CAPVT II.

Rationibus in contrarium occurritur; relato primum Ambrosii Catharini errore.

Homines a Deo in vitam aeternam ordinati, nemo hucusque Catholicorum ausus fuit inficias ire. Vnus Ambrosius Catharinus, homo quidem et instituto, et doctrinae laude ceteroquin conspicuus,

(5) Lib. de Dono Perseu. cap. 14.

(6) Prima Parte, quæst. xxiii. art. 1.

inter eos qui aeternam beatitudinem consequuntur distinguens, de praedestinationis negotio, atque arcano altero quam rem decebat, loquitur est. Locabat ergo ille ex una parte praedestinatos sanctitatis eximiae, vti Virginem Deiparam, Apostolos, Santos etiam virtutibus ac gloria miraculorum exornatos; ex altera vero reliquo homines, quotquot regni coelestis participes fiunt, meritis licet et perfectione inferiores: opinabaturque, postremos hosce neutiquam praedestinari, neque aliquo Dei efficaci decreto a perditionis via subtrahi; sed communis tantum auxiliis munitos sese ipsos ad beatitudinem ducere, ad eandemque peruenire. Quam suam opinionem ut firmaret, sic praedestinationem interpretabatur ut diceret, non esse eam omnium saluandorum electionem ante saecula, sed eorum, qui maiori meritorum cumulo reliquos excessere; adeo ut particula illa *præ* prioritatē vnde dignitatis, non temporis, in praedestinationis vocabulo designaret. Proh! Quantus ac quam palmaris error! Nouum commentum hanc Catharini opinionem Estius dixit: Grauius quid tamen de ea, ipsius Sodaliti vir, Dominicus Bannez protulit scribens (1), eam esse haeresim manifestam. Horrent illam Theologi omnes; horremus et nos, tamquam Pelagianorum errori vel maxime affinem, qui praedestinationem in solis Apostolis haberi aiebant. Tametsi defendi ille quoquo modo contra quorundam accusationem possit, quoniam numquam initium fideli ex nobis esse, quod proprie haeresis Pelagiana est, Catharinus dixit. Haec dicta sint de Catharini errore.

Argumenta modo quae contra propositionem superioris capituli pugnant in examen vocemus. Et I: admissa aliquorum praedestinatione, admittenda quoque est omnium praedestinatio: ideo enim aliqui praedestinantur, vt in illis bonitas, ac liberalitas diuina resplendent: quae absdubio magis in omnium hominum electione elucentur: at hoc adserere neque Scriptura, neque traditio, nec deum fides sinit: non ergo praedestinatio aliqua in Deo ponenda est. II: quum praedestinatio in potestate nostra non sit, tolleretur, ea in aliquibus admissa, bonorum operum meritum, omnisque aeternae salutis sollicitudo: quo certe nihil potest absurdius excogitari. III: (et militat contra secundam partem) apud Matth. cap. xx. legimus: *erunt nouissimi primi, et primi nouissimi*. Et cap. xxv. Multos praedestinatos esse a constitutione mundi. Itemque legimus, eos qui in vi-

neam

(1) In Libri primi Scot. quæst. xl. §. 4.

neam fuerant vocati hora vndecima, licet minime fuerint antea electi, mercedem recepisse: igitur non omnes qui vitam aeternam consequuntur praedestinati fuerunt, sed sunt qui salutem adipiscuntur, quin fuerint praedestinati.

Accedit Apostoli locus ad Rom.viii. quo vtitur Catharinus: »quos praedestinavit, hos et vocauit; et quos vocauit, hos et iustificauit; quos autem iustificauit, illos et glorificauit:« ergo quem omnes hi acrus licet diuini in tempore sint, et praedestinatio temporanea dicenda est.

Respondetur ad singula. Ad primum dicendum, Dei bonitatem atque misericordiam magis apparere in conspectu miseriae, in quam arbitrio ruunt quidam, alii singulari beneficio stanibus. Quin et ad diuinam prouidentiam commendandam spectat, vt quemadmodum ostenditur misericordia in his qui praedestinantur, elueat iustitia in his qui reprobri facti sunt.

Ad secundum dicimus, tantum abesse, vt bonorum operum, humanaeque sollicitudinis necessitatem et utilitatem praedestinatio auferat, vt potius eas inducar et firmet. Exploratum siquidem est, viam a Deo praefinitam, quam teneat oportet qui velit ad vitam ingredi, esse recte facta. Itaque soli increduli aut insipientes negligentiae aut desperationis ansam ex hoc dogmate possunt atriperes: quum e contrario cordati fideles in eo spei, ac solertiae incitamentum habeant, quia persuasi sunt, praedestinatum, nisl per bona opera, ad vitam non peruentur aeternam. Non enim Deus praedestinatione sua homines ad beatitudinem vtrinque ordinat eligitque: sed ad eam certa via et ratione, scilicet precibus, diuinae legis implande studio, mali fuga, ceteris, obtinendam. Quid quod firmissimum atque immutable diuinae voluntatis praedestinantis propositum sit, nec frustrari possit? Nosse tamen nullus potest, electus ne ipse sit, an reprobus, nisi hoc ei pandere Deus voluerit: unde praedestinationis diuinae firmitas, atque immutabilitas nemini vel securitatem, vel desperationem potest iniicere. Exemplum hac in re Satanus ipse hominibus parat. Parcitne ille praestigiis, fallacis, insidioso, vt homines fallat, ad peccandum pertrahat, impellatque in aeternum exitium? Atqui probe nouit illi, quod licet ita electos imperat, illorum nullus damndans; perituri tantum perditionis filii. Ecce vero? Quod eum lateat, quos Deus praedestinauerit, quosue a regno excluserit. Singuli similiter homines, aeternum er-

ga se diuinae voluntatis propositum quum ignorent, in pietatis opera incumbere solerter debeat, et a peccatis cauere; vnum enim hoc certum quisque, atque competitum habet, nemini nisi per recte facta salutem obtingere; nec perire quemquam nisi propter admissa sclera.

Tertium, locorum Scripturae nuda expositione erit solutum. Ergo dicuntur in priori texu primi nouissimi, et nouissimi primi, et respectu hominum, et respectu Dei: adeo vt euangelicas sententias sensus sit: »multi qui iudicio hominum videntur primi, erunt Deo nouissimi: et multi e contrario, qui iudicio hominum nouissimi vindicentur, primi erunt iudicio Dei.« Non est enim Deus sicut filii hominum, qui diuines, nobilesue ceteris anteponunt, sed humiles, pauperes, virtutis scilicet amatores. Haec respondet Estius.

Sed dici insuper potest, intelligi Matthaei testimonium de Ecclesia huius temporis, quae aptissime regnum coelorum dicitur, in qua primi sunt nouissimi, et nouissimi primi: scilicet Iudei, qui primi ad eam sunt vocati, neque tamen Christi fide accepta accesserunt, nouissimi sunt; Gentiles vero nouissimi, qui postea fuere vocati, sunt primi, quoniam reuera in Ecclesiae sinum recepti sunt.

Secundi textus haec est intelligentia: dici ibidem, *a constitutione mundi*, quia nihil Deus disponit in tempore, quod non ab aeterno praedefinirerit; ita idem sonat, ac ante mundi constitutionem: atque inde hoc evincitur, quod quos in Matthaeo legimus praedestinatos *a constitutione mundi*, Paulus ad Ephes. 1. *ante mundi constitutionem*, et in I. ad Timoth. *ante tempora saecularia* praedestinatos dicit.

Parabola autem de vinea de Gentilibus explicanda venit, qui ad Christum conuersi mercedem receperunt, quemadmodum Iudei receperant, qui Mosaicae legis seruauerant instituta. Hunc arbitror Parabolae scopum esse. Dicitur tamen haec merces sub vesperam rependi, quia neque vigente priore lege, neque Mosaica durante, sed vniue in postrema, scilicet iam promulgato Euangilio, Coelum seruatum est.

Posset etiam interpretari haec parabola de variis iustorum generibus, quorum aliqui ab ineunte aetate Deo seruierunt, alii in vitae decursu, aliqui tandem in ipsa senectute. Qui omnes in pari caritatis perfectione decedentes, denarium accipiunt, vnumque a Deo remuneratore praemium.

Tandem quod ex Apostolo Catharinus obliciebat hanc habet solutionem: disparem esse rationem, maximumque discrimen inter Dei actus ibi memoratos. Praedestinatio siquidem, praescientia, decreta, ac similia alia, et actiones sunt immanentes, ut Schola amat loqui, et dicuntur relate ad Dni ipsius intelligentiam ac voluntatem: vocatio vero, iustificatio, et glorificatio, et sunt actiones transientes, et connotatiue ad effecta in tempore producta dicuntur. Corruunt ergo quaecumque inde ductae consequence.

CAPVT III.

De diuinae praedestinationis causa agit; eamque in solo Dei beneplacito agnoscit.

Praedestinatio ad gloriam omnino gratuita est.

Propositionem hanc quamplurima Scripturarum testimonia roborant. Paucā ex vtroque testamento seligemus. In Psalm. xvi. dicitur: *sicut me fecit, quoniam voluit me.* In Ezechiele Deus ipse, promittens electis suis cordis immurationem, aliaque bona spiritualia, quae sunt praedestinationis effectus, ait cap. xxxviii: *non propter vos ego faciam, sed propter nomen sanctum meum.* Item Iohann. xv. habetur: *non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Et in Epist. ad Ephesios cap. i. ait Paulus: *elegit nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati, in conspectu eius in caritate.* Et infra: *praedestinavit nos in adoptionem filiorum secundum propositionem voluntatis suae in laudem gloriae gratiae suae.* In Epist. autem ad Coloss. cap. i. haec habet: *qui dignos nos facit in partem sortis sanctorum: sortis nomine electionem ad gloriam designans.* Rursus in Epist. ad Titum cap. iii: *non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Tandem in Epist. i. ad Corinthi. cap. iv. ait: *quid enim te discernit? Quid autem habes quod non acceperisti? Si autem acceperisti, quid gloriaris quasi non acceperisti?*

Ludunt autem inaniter operam quorquot adeo aperta testimonia de electione ad fidem, ad Euangelium, ad gratiam tantum intelligunt; illi quoque qui de praedestinatione ad gloriam complete qui-

quidem acceptam, prout etiam auxiliorum dona complectitur. Et enim fructus qui manet, finalis perseverantia est, consummata caritas est, sempiterna beatitudo est, non fides, non gratia. Neque eligi sancti dicuntur ad sanctitatem et gratiam; sed potius sanctos fieri, quoniam electi sunt. Similiter sanctorum sors nequit sola fides, aut gratia dici, quas et reprobri quamplures participant. Expresso quoque a Paullo ad Titum scribente ex Dei liberalitate vitæ aeternæ consequitio repetitur. Tandem: eti fatemur fidem et gratiam fidèles inter et incredulos, pios inter et impios discernere; ast discerunt tantum temporaliter non in perpetuum: haec discretio a sola gloria est. *Verum quid in his immorarum?*

Illud Apostoli testimonium ex Epistol. ad Roman. cap. ix. de-
promtum producamus; vbi ad demonstrandam adoptionem filiorum Dei ex carnali generatione, aut ex praeulis operibus nequaquam pendere, sed ex solo Dei beneplacito, exemplum filiorum Isa-
ac, Jacob scilicet et Esau his verbis apponit: *»cum enim non
dum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secun-
dum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed
ex vocante dictum est ei, quia maior seruier minori, sicut scrip-
tum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.« Inquit ergo ex
hoc loco argumentari valet, atque solam Dei misericordiam, ac
voluntatem praedestinationis caussam esse euincit; quoniam et duo fra-
tres illi pares quoad parentes fuisse constet; et quantum ad meritū
ipsa, quae nulla in eis agnoscebantur. Atque ne quis iniquum in-
de concluderet, addidit Paulus: *»quid ergo dicemus? Numquid
iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: miserebor, cu-
ius miserebor; et misericordiam praestabo, cuius miserebor. Igitur
non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.« Et infra:
»o homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmen-
tum ei qui se finxit? quid me fecisti sic? An non habet po-
testatem filius luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in
honorem, et aliud in contumeliam?« Tandemque: *»quod si Deus
volens ostendere iram et noram facere potentiam suam, sustinuit
in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet di-
uitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparauit in glo-
riam« cet. Quoniam igitur filii promissionis, ac in Christi haeredi-
tatem adoptati in Jacob prefigurati sint; quemadmodum ille, et hi
non meritorum intuitu, sed benevolia Dei voluntate electi sunt.***

Mirum quo interpretamenta aduersarii moliti fuerint, vt hoc Pauli testimonium eluderent. Aint nonnulli, imperite a nobis illud vrgeri, quum ibi sermo fiat, non de praedestinatione ad gloriam, sed vnicce ad fidem, ad gratiam, ad euangelicam legem. Alii reponunt, loqui Apostolum de praedestinatione ad gloriam; hancque non esse ex praevisione meritorum, quae comparantur naturae viribus, quod sane Pelagiani sentiebant, sed esse tamen ex eorum operum praevisione, quae ex libertate humana simul et gratia proficiuntur. Respondent alii, nequitum propositam eo loco Iacob ad coeleste regnum electionem, sed ad paternam dumtaxat haereditatem, in qua fratri sola Dei voluntate fuit praecultus, vt et Israëlitica gens originem ab eo ducens, Idumaeis ab Esau proseminalis. Demum, est qui dicat ex nostra in textum Apostoli intelligentia sequi etiam, Esau fuisse reprobatum absque demeritorum praescientia; quod est Caluinianum dogma.

At quamfacillime omnia haec a nostris Theologis refutantur. Paucula ex iisdem emendabimus. Et primum quidem interpretamentum imbecillum est. De praedestinatis enim ait Paulus vocari, iustificari, glorificari: ergo qui non glorificantur, licet et ipsi ad fidem, ad gratiam, et ad Euangeliū fuerint vocati, de numero illorum praedestinatorum non sunt, de quibus Paulus sermonem instituit. Loquatur itaque, per nos licet, ibi Apostolus de vocatione etiam ad legem euangelicam, et de electione ad gloriam: nam et hoc verum est: sed ostendit ipse, ex electione ista conferri a Deo electis et fidem, et gratiam, et specialiter auxilium efficax, quo habent, a caritate Dei non posse separari, perseverare finaliter, atque aeternam adipisci gloriam.

Nec secundum interpretamentum subsistit. Si enim sola natura opera testimonio illo excluderentur, frustra sibi Apostolus obiecisset insuper, fore iniquum Deum, et acceptatorem personarum. Tunc siquidem vnicuique in promptu esset respondere, nullam esse apud Deum iniquitatem, nullamque personarum acceptationem, quoniam hunc praedestinavit, illum repulit, non secundum propositum voluntatis suae, sed secundum praescientiam. Consulatur Augustinus (1), consulatur et D. Thomas (2).

Quod vero alii dicunt tertio loco de paterna haereditate, nec nos respuemus. Sit ita vt volunt: quid tum inde? Cuicunque ver-

bo-

(1) Epist. ev. alias exciv.

(2) Lect. iii. in hunc locum,

borum Apostoli seriem lustranti exploratum est, positum a Paulo illud exemplum ad quorundam hominum electionem ad gloriam, plaine gratuitam, designandam. Sibi igitur perpetuo constans Apostolus ex typo veritatem conclusit, positoque ab exemplo intulit, vt Jacob delectus fuit ad possidendam promissionis terram, non ex operibus, sed dumtaxat ut secundum electionem propositum Dei maneret, ita quosdam ad aeternam gloriam ante quorumcumque operum praescientiam solo Dei elegit, vocantisque proposito praordinari. Haec a S. Thoma edocemur; quibus nihil nitidius valet exegitari (3).

Vltima interpretatio ineptam valde consequutionem offert: nostra enim sententia est, negatiuam reprobationem propter originale peccatum fieri, quod peccatum in Esau Deus oderat: at reprobationem positivam in adultis et baptizatis propter peccata eorum actualia: adeo vt a Caluini errore longissime distemus, qui et Deum gratis homines damnare, et ad supplicium praedestinare dicebat. Sed diximus nimis multa, vel nolentes. Vlteriora proseguamur.

Patres modo consulamus; Augustinum potissimum ceterosque qui post huius aeratem, atque exortam haeresim Pelagianam floruerunt. Minus enim sollicitos nos esse de illorum auctoritate qui ante hanc epocham scripsere, vltro fatemur. Et vt Augustini ipsius verbis vtmar (4): «quid opus est, vt eorum scrutemur opuscula qui priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficultate ad soluendum quaestione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur.» Sit itaque primus Augustinus, qui nostram de gratuita praedestinatione opinionem luculenter muniat. Itaque primus eius locus sit, vbi haec scribit (5): «intueamur ergo verba Apostoli, atque videamus, vtrum propterea nos elegerit ante mundi constitutionem, quia sancti et immaculati futuri eramus, an vt essemus? Benedictus, inquit, Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spirituali in coelstibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti et immaculati: non ergo quia futuri eramus sancti, sed vt essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, praedestinans, vt tales per gloriam eius

Qq 2

» es-

(3) Vbi supra.

(4) Lib. de Praedest. Ss. cap. 14.

(5) Vbi supra. cap. 18.

» essemis.« Scio Vasquem Augustini verba interpretari de praedestinatione ad gloriam : sed praeferquamquod apertissima est eius deceptio , piget hominem refutare , toties ac tam aperte refutatum. Videatur prae ceteris Bertius (6).

Locus secundus sit ex lib. de Corrept. et Gratiā (7) , vbi haec habentur : »ab illa perditionis massa , quae facta est per primum Adam , debemus intelligere neminem posse discerni , nisi quod hoc donum habet quisquis haber , quod gratia Salvatoris accepit.« Augustino igitur docente , vnum discerni a perditionis massa , alterum in eadem relinqui , ex gratuita ad gloriam praedestinatione oritur : hanc ergo Augustinus tradidit.

Tertius locus ex lib. de Dono Perseuerantiae desumptus (8) , est huiusmodi : »ex duobus . . . parvulis originali peccato pariter obstrictis , cur iste assumatur , illi relinquantur ; et ex duabus actate iam grandibus impiis , cur iste ita vocetur ut vocarem sequatur , ille autem aut non vocetur , aut non ita vocetur ut vocantem sequatur , inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duabus autem pīs , cur huic donetur perseuerantia usque in finem , illi autem non donetur , inscrutabilia sunt iudicia Dei. Illud autem fidelibus debet esse certissimum , hunc esse ex praedestinatis , illum non esse.« Quo loco manifestissime Augustinus loquitur de electione ad aeternam vitam , quam loquatur et de praedestinatione parvolorum qui assumuntur in gloriam , et de adulorum praedestinatione quibus perseuerantia finalis donatur. Est ergo illa ex Augustini mente omnino gratuita.

Postremus locus esto (innumerā praetermittimus) ex laudato de Praedestinatione Ss. lib. (9) vbi verbis limpidissimis tradit , Christi praedestinationem nostrac praedestinationis exemplar esse. Ait enim : est etiam praeciarissimum lumen praedestinationis et gratiae ipse Salvator , ipse mediator Dei et hominum , homo Christus Iesus qui ut hoc esset , quibus tandem , suis , vel operum , vel fidei praecedentibus meritis natura humana quae in illo est , comparauit ? Respondeatur queso , ille homo ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem Personae assumitus Filius Dei unigenitus esset , unde hoc meruit ? Quod eius bonum qualecumque praecessit ? Quid egit ante , quid creditit , quid petuit , ut ad hanc ineffabilem ex-

» cele-

(6) Lib. vi. cap. 6.
(7) Cap. viii.

(8) Cap. ix.
(9) Cap. xv.

»cellentiam perueniret ? Ex quibus sie licet argumentari cum Augustino : Christi praedestinatio ad uniuersum hypostaticam , ad sanctitatem , et ad gloriam omnino gratuita fuit : ergo et est huiusmodi Sanctorum hominum praedestinatio , cuius illa fuit exemplar.

Proximus Augustino in re ista est Prosper (10) , vbi ait : »illi cum Christo regnabunt , quos gratuita bonitate sua praedestinavit ad gloriam.« Fulgentius quoque ad Monimum scribens ait (11) : »poruit sicut voluit praedestinare quosdam ad gloriam , quosdam ad poenam. Sed quos praedestinavit ad gloriam , praedestinavit ad iustitiam ; quos autem praedestinavit ad poenam , non praedestinavit ad culpam.« Et Gregorius Magnus haec habet (12) : »ipsa quoque perennis regni praedestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita , vt ad hoc electi pro labore perueniant , quatenus postulando merentur accipere quod eis Omnipotens Deus ante saecula dispositus dare.« Bernardus autem sic loquitur (13) : »intuere nunc mecum in hoc tam magnifico opere nostrae salutis tria esse quaedam , quae sibi vindicat auctor Deus , praevenitque in illis auxiliatores et cooperatores suos , praedestinationem , creationem , inspirationem.«

Quid autem S. Thomas ? Nemo eo penitus quaestionem hanc timatus est , nemo diligentius excusit , et vsquequaque versauit , nemo etiam solidius direxit. Prae ceteris tamen quibuscumque nitidiora sunt haec eius verba (14) : »nullus ergo fuit ita insanæ mentis , qui diceret , merita esse caussam diuinæ praedestinationis ex parte actus praedestinantis.« Atque quaestione instituta de praedestinationis causa ex parte effectus , posteaquam quorundam opiniones retulit , addit : »habet . . . praedestinatio ex parte effectus (scilicet in communi) pro ratione diuinam bonitatem , seu voluntatem (15) , ad quam totus effectus praedestinationis ordinatur ut in finem , et ex qua procedit , sicut ex principio primo mouente.« Et infra (16) : »quate hos elegit in gloriam , et illos reprobavit , non habet rationem , nisi diuinam voluntatem.«

Habent similia alii Patres apud Dionysium Petavium (17) . Quibus omnibus placet addere Galliae Antistitum sententiam , partim

in

- | | |
|--|--|
| (10) Resp. ad object. Vincent. cap. 2. | art. 5. in corp. |
| (11) Lib. i. cap. 1. | (15) Ita Cod. Alc. Canter. et Rom. Edit. |
| (12) Lib. ii. Dialog. cap. 8. | (16) In solut. ad tertium argumentum. |
| (13) Serm. LXXVIII. | (17) Lib. ix. cap. 16. |
| (14) Prima Parte , Quaest. xxxiii. | |

in Concilio Valentino III, partim sub Ecclesiae Lugdunensis nomine explicatam. Enim quatuordecim Episcopi in laudatum Concilium congregati ex prouinciis Lugdunensi, Viennensi, et Arelatensi posteaquam Can. II. statuerunt: "nec ipsos malos perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt; in Can. III. rotundis verbis decreuerunt: in electione . . . saluandorum misericordiam Dei praecedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum meritum malum praecedere iustum Dei iudicium."

Postmodum nouendecim Ioannis Erigenae, genere Scotti, capitula damnarunt: vbi inter alia docebat, vnicam tantummodo praedestinationem in Deo esse, qua electos ad aeternam beatitudinem destinat; nullam vero ad aeternam esse damnationem.

Sed et Florus Magister, Ecclesiae Lugdunensis Diaconus, vt crederit, librum contra nouendecim Scotti capitula scripsit; nec non alium de tribus Episcopis, in quo trium Episcoporum ad Ecclesiam Lugdunensem datas contra Gothescalcum epistolas refellit. Quibus additus est tertius liber eiusdem Ecclesiae nomine, de tenenda Scripturae sanctae veritate, in quo confutantur quatuor Synodi Carissimae capitula. In omnibus vero Augustini sententia acerrime defenditur, quae sola Dei misericordia quosdam ad aeternam eligi salutem adserit, alios iusto iudicio reprobari. Legatur potissimum liber de tribus Episcopis.

Accedit tandem Scripturae ac Patrum auctoritati multiplex ratio. Prima est: praedestinationem eximiū Dei erga aliquos amorem esse negari non potest: ergo est illa absolute gratuita, nec ex meritis pendet. Nonne enim Theologi communiter cum S. Thoma docent, Dei amorem natura sua esse efficientem, et bonitatem amando creare, et in rebus caussare? Si igitur singularis Dei amor est erga electos, absurdum est eius mouentem caussam in meritorum praescientia collocare.

Secunda: est praedestinatio, consequens Dei voluntas aliquos ad gloriam eligentis: repugnat ergo meritorum hominis praetusionem eiusdem rationem seu caussam ponere. Nam vt habet commune Theologorum scitum, sola increata bonitate, quae Deus ipse est, diuina valet permoueri voluntas.

Tertia: ipso naturae lumine compertum est, praedestinationis ef-

effectum non posse eiusdem rationem, seu caussam esse: at merita humana, quibus ad gloriam peruenitur, effectus sunt praedestinationis; habent enim illa pro principio gratiam, quam suis electis propterea Deus elargitur, vt sibi merita comparant, sine quibus aeternam vitam obtinere non possunt: Nequeunt ergo illa praedestinationis caussam esse.

Quarta: Deus quamplures praedestinat, qui si illorum merita spectentur, criminibus obnoxii sunt atrocissimis, cuiusmodi fuere olim Paulus, Magdalena, Latro, Augustinus, aliique permulti: non ergo attendit Deus hominum merita, sed ipse futura bona opera preparat.

Quinta: diuina voluntas homines ad gloriam praedeterminans est efficax, absoluta, et omne meritum antecedens: ergo et ipsa praedestinatio est omnino gratuita. Propositio antecedens ex eo constat, quod voluntas conferendi media quae efficaciter perducent ad finem, supponit voluntatem efficacem et absolutam eiusdem finis: quumque media quae Deus hominibus elargitur vt salutem consequantur, sint ab intrinseco efficacia, et infallibiliter ad salutem perducant, eiusdem salutis absolutam et efficacem voluntatem supponere debent.

Ex Scripturarum itaque testimonii, Patrum dictis, et rationum momentis evidenter constat, diuinam praedestinationem hominis in finem vitae aeternae omnino gratuitam esse.

COROLLARIA.

Habemus hinc, vel sola ratione duce, praedestinationem ad gloriam praecederet praedestinationem ad gratiam. Est enim gloria finis, gratia vero medium ipsum gloriam consequendi: at finis caussarum omnium prima est; quippe prior est finis intentione, et eius caussa aguntur omnia. Sed auctoritas quoque huius consecrari veritatem testatur. Dicitur enim Actorum XIII: *et crediderunt quotquot erant praecordinati ad vitam aeternam*. Vbi praecordinatio ad vitam veluti causa assignatur, cur Deus donum fidei largiatur. Et Augustinus (28): *gratia, inquit, est praedestinationis effectus*. Neque obstat quod in re gratia gloriam praecedat; quemquidem ordinem in diuina praedestinatione illae debent habere. Falsum enim hoc est: quoniam

niam in exequitione media praecedunt finem; in intentione vero finis praeccedit media, ut exempla evidentissima commonstrant. Afgronus enim prius intendit sanitatem, et huius gratia eligit medicamenta: at in exequitione medicamenta praecedunt sanitatem. Sanus similiter prius decernit iter Romanum versus, et huius gratia equum aut rhamam parat: tamen prius hanc concendit, quam perueniat ad Vrbem.

Habemus insuper, opera moralium virtutum a Deo praesulsa, nul latenus praedestinationis nostrae caussam esse. Si enim opera eiusmodi nostram praedestinationem quomodolibet promerentur, gracia non esset gratia, quoniam daretur secundum merita nostra: quod datum est in Concilis Diopolitano, Arausiano, aliisque post extortam haeresim Pelagianam habitis.

Habemus quoque, liberam arbitrii acceptationem, bonumque eius usum praeuism antecedenter ad gratiam non esse praedestinationis caussam. Etenim Augustino docente (19), quod liberum arbitrium Deo vocanti consentiat, et acceptis donis bene vtarur, domum gratiae est descendens a Patre luminum: commentitia ergo est praescientia acceptationis, et recti usus arbitrii antecedenter ad gratiam.

Habemus tandem, quod quum naturale opus beneficia supernaturalia promereri non possit, neque electi poterunt ex meritis praecuisis, sola facultate arbitrii comparandis, praedestinari. Quod et contra Pelagianos catholica fides docet; dicente Paullo ad Rom. cap. ii. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.* Et infra: *quis prior dedit illi, et retribuetur ei?*

CAPVT IV.

Theologorum contra sentientium eneruantur argumenta.

Adversarii constitutum est ab opinione sua stare auctoritatem, stare et rationem: nam et multa habere se putant Scripturae sacrae loca, in quibus sit illa aperte testata, et plurimos numerant Pates, quos inter et Augustinum, manifestos eius suffragatores; ea etiam rationum momenta, quibus solis, seposita etiam auctoritate, decerni possent.

Quae vero tam aperta sacri eloquii testimonia? Primum: quod Chri-

(19) In lib. de Dono Perseu. de corrept. et gratia.

Christus ipse Matth. xxv. ad electos supremam mundi die dicturus legitur, nempe: *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi esurui enim, et dedidistis mihi manducare, etc.* Vnde illud infertur, ex bonorum operum, misericordiae praesertim, praenotione et intuitu coeleste regnum paratum esse.

Secundum: Christus quoque ad Apostolos suos ait Ioannis xvi. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis cert.*: illorum igitur erga Christum amor ac fides diuinæ erga illos dilectionis, ideoque et praedestinationis, quae eximius Dei amor est, ratio et causa sunt.

Tertium: Apostolus ad Rom. viii. ait: *quos praesciuit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Il ergo praedestinati, qui praesciti sunt Christo futuri conformes, seu Christum suis moribus expressuri.

Quartum: Paulus ipse ad Timoth. II. vers. n. scribit: *si quis emundauerit se, erit vas in honorem sanctificatum, et usile Domino, et ad omne opus bonum paratum:* ab emundatione igitur, seu a vita integratae praedestinatio penderit.

Quintum: in Psalm. xviii. legitur: *intende ad vitandas omnes gentes; non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem:* Deus ergo priusquam misericordiam exerceat, expectat an homines operantur iniquitatem.

Tandem: in I. ad Timoth. II. dicitur: *Deus vult omnes homines saluos fieri:* non ergo quosdam eleget ex omnibus, qui salutem consequerentur.

Ad Patrum vero testimonia quod attinet, haec obiiciunt: Augustinus explicans verba illa Apostoli ad Rom. ix: *ut secundum electionem propositum Dei maneret,* ait (1): *"noa secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio; id est, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus quos eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius; sed quia illud manet, ideo inuenit opera, quae iam eligat ad regnum Coelorum: nam nisi esset electio, non essent electi; nec recte diceretur: *quis accusabit aduersus electos Dei?* Non tamen electio praecedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui relicitur. Vnde quod dictum est; *quia eligit Tom. II.**

Rr

nnos

(1) Lib. I. ad Simp. q. 11.

nos Deus ante mundi constitutionem , non video quomodo sit dictum , nisi praescientia . Ergo ex Augustino electio ex bonis operibus , non Dei beneplacito petenda est.

Ipse Augustinus alibi adseruit (2) , praedestinationem , de qua agebat , ad fidem pertinere , dicens : „hoc scio , neminem contra istam praedestinationem , quam secundum Scripturas sacras defendimus , ni errando disputare potuisse .“ Atqui gratuita praedestinatio ad gloriam ad fidem non spectat : igitur non de illa disputat Augustinus .

Addunt S. Francisci Salesii verba quaedam ex Epistola ad P. Leonardum Lessium (3) , quae sic habent : „sententia illa antiquitate , suavitate , ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissima , de praedestinatione ad gloriam post praeuisa merita , sane mihi gratissima fuit ; quia nimirum eam semper ut Dei misericordiae ac gratiae magis consonantem , veriore , ac amabiliori existimau , quod etiam tantisper in libello de amore Dei indicaui .“

Superaddunt Prosperum , ac Fulgentium ; quorum primus script (4) : „quia praesciti sunt casuri , non sunt praedestinati ; essent autem praedestinati , si essent reversuri .“ Secundus vero sic loquitur (5) : „praedestinatus ad supplicium quos a se praesciuit voluntatis malae virtio discessuros ; praedestinatus ad regnum , quos ad esse praesciuit misericordiae praeuenientis auxilio reddituros .“

A ratione autem haec dicunt argumenta : I : potest quis velle efficaciter finem , etiam si talia ponat media , quae ad finem consequendum sufficient , nisi aliunde impedianter , sive effectus sequatur , sive non : ergo et potest Deus nobis velle gloriam per modum finis , licet media conferat , non efficacia , sed dumtaxat sufficientia ; ea nempe , quibus si bene utramur , gloriam consequi possumus .

II : gratuita praedestinationis systemate admisso , illud dilema formatur , ex quo numquam Theologi illi sese expedire poterunt ; videlicet : vel praedestinatus sum , vel reprobatus : si praedestinatus , praeparata consequat beatitudinem , sive recte sive male fecero ; si reprobatus , certissime etiam damnabor : ergo .

III : haud admittenda illa de diuina electione sententia , quae hominis libertatem cuerit funditus : huiusmodi vero esse quae gra-

tule

(2) Lib. de Praedest. Ss. cap. 19.

(3) Conscripta anno 1618. die 26.

Augusti.

(4) Ad xii. obiect. Vincent.

(5) Lib. i. ad Max. cap. 24.

tuitam illam dicit , ex eo arguitur , quod diuinum decretum antecedat omnem actum voluntatis creatae , eam praedeterminet , ac salus infallibiliter , et ex necessitate consequatur : nec enim eidem voluntas obsistere valet , quam sit illud omnino immutabile .

IV : Deus in sententia ista dona inaequalia hominibus aequalibus , nempe in eadem massa constitutis , praepararet , atque praeberet , vni scilicet finalis perseverantiae grariam , alteri auxilium tantum sufficiens ; illi gloriam , huic gehennam : ergo personarum acceptator ille esset , si absque meritorum intuitu unum prae alio eligeret .

V : si gratuita plane sit hominum praedestinatio , iam hi sine meritis coelestis gloriae participes fierent : quam enim sit Dei propositum efficax omnino , nec irritum fieri a quoquam possit , erit certissime electorum sine meritis salus , si absque horum praescientia electi a Deo sunt .

VI : nisi Deum irrationalem velimus , aliquam voluntatis eius causam debemus adsignare : non ergo nisi intuitu meritorum ad gloriam homines praedestinat .

Denum : absurdia plurima ex opinione ista deducuntur ; nempe , neque electum , neque per dendrum orationis exercitamento indigere ; locum non habere exhortationes , vel ad infideles ut conuertantur , vel ad impios ut poenitentiam agant , vel ad negligentes ut viam salutis animo feruentiori arriplant .

Haec in specie obiciunt ; quibus ordine occurrentum . Ergo ad primum Scripturae locum respondemus nuda Euangelicorum verborum explanatione : et designatur verbis illis motuam , et causa possessionis regni coelestis ; esto : caussa et motuum praeparationis , et praedestinationis ; neutiquam . Ea etenim verba , esurii ceterum non ad dictiorem illam paratum referenda sunt , sed ad alia verba , veniente , possidete ; ut ex his quae sequuntur constat . Nam dictuus est illico Christus reprobis : discidite a me maledicti in ignem aeternum , qui paratus est Diabolo et angelis eius : esurii enim et non dedidistis mihi manducare . Diabolo siquidem inferni ignis non est paratus , quod homines non essent opera misericordiae facturi . Itaque aducere heic distinguendum ordinem inter , quem intentionis , et eum quem exequitionis adpellant , et ad insigne hoc inter utrumque discrimen erigenda tot illa Scripturarum loca , in quibus coeleste regnum oracula iustitiae , denarius , brauium , merces ceterum dictum legitur ; quod nisi fiat , erit inter litteras sacras implacabilis pugna ,

R. 2

nec

nec iam Spiritus veritatis secum ipse consentiet; quo nihil singi potest absurdius. Si enim eorum quae aduersarii opponunt, aliorumque sensus est quem volunt ipsi; nec intentionis ordo ab ordine exequutionis secernitur, quid facias iis, quae Regius Psaltes ait, quaeque electus quilibet de se dicere vere potest, Psalm. xvii: *saluum me fecit, quoniam voluit me;* quae Apostolus ad Rom. ix. vt antea expendebamus, de hoc mysterio loquens: *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei,* aliaque similia? Ast cohaerent perbello omnia, si intentionis ordinem ab eo qui exequutionis dicitur, distinguiamus, dicamusque, Deum una sua bonitate motum viatae aeternae finem solo gratuito voluntatis suea proposito, per merita tamen ab iis quos ad illum ordinavit, obtinendum intendisse, adeo vt quibus sola Dei benignitate regnum est paratum, non sint illud gratis possessuri, sed vt coronam pugnando, brauum currendo, mercedem et denarium laborando, sibi comparaturi.

Secundi testimonii interpretatio quam aduersarii adhibent, falsa est, eximie scilicet a Patre dilectos ac praedestinatos Apostolos, quod futurus eorum erga Christum amor praevius ab eo sit. Nec enim commentatorem hanc suam cum his Christi Domini verbis compone illi poterunt: *nolite timere pusillus grec, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum: non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Sed neque cum recta ipsa ratione, communique sensu eam poterunt compondere. Quid enim naturae lumine magis notum, ipso etiam communis sensu, quam diuinae voluntatis ac dilectionis aliam non posse esse causam praeter diuinam ipsam bonitatem? Ergo verborum Domini verus hic sensus est; Deum nimis, eos quos sola bonitate motus ex aeternitate dilexit, gratia donare, qua sibi eiusdem merita parent, viamque constanter teneant, qua ad eam recta peruenient; electos autem gratiae, et caritatis huius administriculo, sanctoque vsu, non futuram gloriam promereri vnicce, sed et eiusdem gratiae, et caritatis accessionem et incrementum. Apostolos igitur amat Pater, quia illi amabant Christum; sed nota ac potiora gratiae suea dona eis elargiebatur, quia caritate in eorum cordibus diffusa per inhabitantem Spiritum Dei amantes Apostoli Christum, gratiae, et caritatis incrementum promerabantur. Vnde tamen, et gratiae in eorum cordibus infusio, et noua donorum accessio? Ab aeterna illa gratuita dilectione, qua Deus ad tantum eos gloriae gradum praecordinas, tanta eos perfundere

gra-

gratia et caritate decreuerat, quanta opus habebant ut paratum sibi regnum suis ipsi meritis consequerentur.

In soluendo autem Apostoli testimonio, tertio loco obiecto, non est cur multum laboremus, qui Augustini doctrinam in deliciis habemus. Docet S. Doctor (6), praescientiae nomine, sive in sacris litteris, sive in Patrum scriptis, quoties de bono salutari agitur, non simpli- cem Dei cognitionem venire, cuiusmodi est scientia illa media quam huic intrudere Aduersarii voluerent; sed eam, quae approbationis, ac dilectionis dicitur, efficientem videlicet, atque decreto innixam, qua Deus et res cognoscendo facit, et faciendo cognoscit. Atque hic sensus est verborum Pauli ad Rom. xi: *non repulit Deus plebem suam quam praeconciuit.* Eorum etiam quae ad Timoth. n. leguntur: *cognovit Dominus, qui sunt eius.* Et Ioann. x: *ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas.*

Quarti testimonii haec est solutio: quaecumque sit illa emun- datio, de qua Paulus, sive studiosa prophanorum vitatio, sive vi- taes mundities, et integritas, ut aduersariis placet, non possunt eius verba de meritorum praescientia exponi, quae praedestinationis ratio et causa sit, quin Paullum sibimet contrarium dicamus, obli- tumque eius quod disserre tradiderat, non aliunde illam nimis esse, quam a Dei vocantis, et miserentis aeterno proposito. Itaque et hic ad ordinem intentionis, et exequutionis recurrentem, et verba Apostoli hoc pacto interpretanda, ut quae in hoc omnino gra- tuita est praedestinationis exequatio, emundatione illigata est; quos enim Deus solius bonitatis suea manifestandae gratia saluare ex aeternitate decrevit, non alia via quam per vitae sanctimoniam, recte- que facta ad finem hunc peruenire statuit; nec aliter vasa in hono- rem futura actu, quam mali fuga, ac boni productione usque ad mortem.

Ad quintum dicimus: obulum cuique esse praedictorum Dauidis Regis verborum sensum, nempe, intende ad visitandas omnes gentes, iustissimis in eas suppliciis animaduertendo, neque misere- aris impiorum, qui operantur iniuriam, nisi suorum peccatorum egerint poenitentiam. Itaque loquitur David de iustitia infligente poe- nas quas impii merentur; non vero de misericordia quas iniquos praedestinat.

Ex ultimo autem testimonio id tantum sequitur, neminem sci-

(6) Lib. t. de ss. Praedest. cap. ro. Et in lib. de Dono Perseu. cap. 27.

scilicet esse , quem Deus voluntate antecedenti nolit saluari , quae voluntas omnes respicit , ad omnesque extenditur ; neque est tamen illa efficax et absoluta voluntas , quae solos electos respicit , quaque gratiarum beneficia eisdem praeparantur.

Ad Patrum dicta exponenda accedamus . Et ad Augustini primo loco productam auctoritatem , praetermissis quorundam Theologorum solutionibus , sic respondentum arbitramur : nullum esse aduersus nos inde ductum argumentum . Docuerat enim S. Doctor , duplēcēt esse electionem , aliam scilicet antecedentem et gratiae aliam consequentem et iustitiae . Prioris meminit Augustinus aduersus Iulianum dicens (7) : *nullum elegit dignum , sed eligendo efficit dignum* . Secundac autem in lib. de praedestinatione Ss. (8) vbi ait : *intelligamus ergo vocationem , qua sunt electi* . Prima electio vocationem ac meritum praeedit ; secunda meritum , et vocationem subsequitur . Prima est caussa cur praeparentur electis gratiae beneficia . Secunda est huiusmodi benefiorum effectus . Per primam discernuntur electi in mente Dei ab aeterno : per secundam separantur in tempore . Ergo Augustinus in quaestionibus ad Simplicianum de electione consequent , non de antecedenti loquitur . Quod ipsius verba testantur . Ait enim : *“electio non praeedit iustificationem , sed electionem iustificatio.”* Et insuper : *“nemo enim eligitur nisi distans ab illo , qui reicitur.”* Electio igitur , de qua Augustinus , temporalis assumptio ad gloriam est , quae subsequitur iustificationem . Nec est electio illa aeterna , in qua nullus ab alio distabat , sed omnes in eadem perditionis massa continebamus . Vsus vero Augustinus fuit electionis nomine , quo proprio significatur aeterna praedestination , ad demonstrandum praedestinationis effectum , dum adhuc ambiguus erat , num daretur vera electio inter pares , atque nondum diligenter distinguens inter electionem gratiae , et electionem iustitiae , vt ipse animaduerit in libris Retractionum (9) .

Quod autem secundum Augustini locum spectat , sunt qui opinentur , Augustinianam (addam ego et Thomisticam) de praedestinatione gratuita ad gloriam sententiam ad fidem pertinere . Id enim Synodi Sardicensis Patres aperte testantur (10) . Et Claudius Aquaviva in quaestionum delectu affirmit , hanc doctrinam communiter in Scholis recipi , ab Ecclesiae Patribus tradi , atque huius opinionis

op-

(7) Lib. v. cap. 3.
(8) Cap. xvii.

(9) Lib. i. cap. 21.
(10) In fine lib. de Incarn. et Gratia.

oppugnatores semper male audire . Ab hac sententia recedere Recentiores non sine periculo scribit Baronius (11) . Proferunt similia plurimi alii . Vnde negari minor propositio poterit .

Etiam posset responderi , gratuitae praedestinationis sententiam spectare ad fidem , quatenus legitima ac necessaria illatione consequitur haec gratuita ad gloriam praedestinatio ex veritate ea irrefragabili , quod finali perseverantie speciale gratiae donum sit . Addi etiam posset , spectat hanc sententiam ad fidem , idque Augustinum ipsum scripsisse , quoniam solo Semipelagiani eam tunc temporis oppugnabit . Nos vero dicendum opinamur , spectare vtique ad fidem , gratuitam praedestinationem ad gloriam , atque de hac quoque Augustinum pertractare : quod insuper ex diuino , eoque efficaci proposito dandi gloriam validissime comprobatur ; ex quo quidem proposito gratiarum omnium series electis praeparatur .

Alia quae ex Augustini libris opponi solent , consulto praetermissum . Sunt enim illa vel ex libro Hypognosticon iv , vel ex quaestione lxxviii . inter lxxxiii , vel ex expositionis Epist. ad Rom. propositione lv . Ast Hypognosticon librum falso Augustino tribui : Quaestiones lxxxiii . conscriptas fuisse ante Episcopatum , quum adhuc Semipelagianorum errore detinebatur : quae vero traduntur laudata propositione ab eodem postea fuisse retractata (12) , non rur omnes .

Ad S. Francisci Salesii auctoritatem penitus introspectiendam , recolenda ea forent quae Bertius tradit (13) . Hoc vero nobis non vacat . Ergo praecipua seligemus , quibus obiectioe inde ductae occurramus . Blandiuntur itaque sibi gratuitae praedestinationis oppugnatores sanctissimi Praesulis testimonio : immerito tamen . Quandoquidem si illis patrocinatur Salesius , nobis Augustinus et Thomas patroni sunt .

Verum non adeo indulgentes esse volumus , vt neque errorēm , aut oscitantiam in amanuensi suspicemur . Haud enim verba illa Epistolae , post praevisa merita , cum iis quae ibidem leguntur compondere possimus vel volentes . Quam enim Praesul Sanctissimus commendat sententiam , *Dei misericordiae , ac gratiae magis consenteam appellat* . Eam quoque ab antiquitate , a suauitate , a natu Scripturarum auctoritate commendat . Sed ubi Dei misericordia ,

(11) Ad annum Christi 490.

(12) Lib. i. Retract. cap. 23.

(13) Lib. vi. cap. 6. Schol. altero.

dia, et gratia magis cluent, quam in praedestinatione eiusmodi, quae opus solius misericordiae est et gratiae? Nonne etiam ex quo cooperunt, post exortam Pelagianam haeresim, controversiae de praedestinatione et gratia agitari, sententia Augustini auditu est? Nonne et Thomas, Scotus, ceterique Scholasticorum qui Augustino adhaesere, et tempore et dignitate Medistis omnibus, qui quasi flores et egressi et conteriti sunt, praferendi? Suauius ne erit homini in arbitrio infirmissimis viribus spem reponere, quam in Deo omnipotentissimo et misericordissimo? Erit tandem nativa et expressa Scripturarum significatio, non esse Gratiam Dei vitam aeternam, Deum non elegisse nos ante mundi constitutionem, neque per suam misericordiam saluos nos facere, contra ac in eisdem. Scripturis legimus? Nobis hos ligent fines, Theologos istos rogamus. Quod nisi fecerint, et Salesii Epistolam sic legendam perpetuo tensibimus, ut vbi errore positum, post praeuisa merita, scriptum primitus fuerit, ante merita praeuisa; atque Antistitem Sanctissimum pronostica sententia stare gloriabimur.

Prosperi testimonium ex obiectio[n]is duodecimae responsione desumptum, sic est interpretandum, ut loquutus ipse sit de praedestinations quatenus praecordinationis diuinae signum est, et manifestatio; quo sensu accipitur illud Pauli de Christo Domino dictum, *qui praedestinatus est filius Dei;* non de ea, quatenus electio, praecordinationis ac propositum Dei est, ut in verbis illis eiusdem Apostoli, *quos praeconcepit et praedestinavit.* Nam duplice hoc sensu praedestinatio accipi potest. Exponendum quoque hoc pacto vulgare illud proloquium, *si non es praedestinatus, fac ut praedestinoris,* sarage ut te conuersio[n]e, et exemplo electum ac sanctum manifestes, si malis operibus temetipsum impium ac reprobum ostendis.

Fulgentius autem dum praedestinationem ad gloriam praedestinationi ad poenam comparat, de executionis ordine loquitur: ipse enim praedestinationem ratione intentionis merita praecedere clare docet, potissimum vbi ait (14): *"illi cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate sua praedestinavit ad regnum."*

Quae tandem ex ratione petita sunt argumenta promissimum est refellere. Ad primum igitur soluendum, negandum assumptum est. Etenim finis voluntas neutiquam est efficax, quando media ad eiusdem consequionem necessaria efficacia non sunt. Vnde exempla Me-

di-

(14) In lib. de Fide ad Petrum cap. 3.

dici et aegroti aptissime in obilientes retrorquentur. Si enim certo cognosceret medicus determinatam medicinam efficacem esse, eamque in sua haberet potestate, indubium quin eam infirmo exhiberet, quem sanum veller efficaciter. Ergo Deus volens efficaciter gloriam praedestinatis, habensque in potestate sua certissima liberationalis remedia, gratiam videlicet victicem, et finalem persecutiam, nequaquam media isthaec eiusmodi electis denegabit.

Secundum argumentum Semipelagianorum est, vt Prosper scribit (15). Illud in aduersarios Augustinus intorquet his verbis (16): *"nonne si Deus illos bonus futuros esse praesciuit, boni erunt in quantilibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt in quantilibet nunc bonitate cernantur?" Numquid ergo propter huiusmodi caussas ea quae de praescientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda? Tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores? A Equa siquidem certa, et inuarabilis est Dei praescientia quam ipsi negare non audent, quam praedestinatio quam admittere nolunt.*

Nos autem hoc damus responsum: quod licet Deus homines gratis eligat, non tamen vult dare adultis gloriam nisi vt mercedem, et coronam iustitiae: etenim elitit gratis ad gloriam obtinendam, non quidem gratis, sed per merita. Adeo vt merita praedestinatio[n]is obiectum connotent, neutiquam motiu[m]. Apposite ergo distinguendum est harum dictionum sensus: *Deus gratis vult dare gloriam: Deus vult gloriam dare gratis: Deus vult dare gloriam per merita: Deus vult dare gloriam ex meritis.*

Tertium illud est quod Massilienses olim obiectabant: hanc vero habet solutionem: diuinum decretum antecedit ac praedeterminat voluntatem creatam, praedeterminatione eiusmodi, qua Deus facit vt faciamus, ut in preceptis eius ambulemus, vt peccata vitemus, a quibus liberum est abstineri esto. Diuinum decretum voluntatem creatam antecedit, ac praedeterminat, praedeterminatione, qua liberum arbitrium constringat; non. Constan[s] itaque Scholae nostrae assertio est, praedestinationem et efficaciam Dei decretum libertatem perficere, non euertere: ita enim efficaciter operatur, vt cum indifferentia, et potestate ad oppositum eidem liberum cooperetur arbitrium. Sed de his alibi fortassis sermo redibit, quum de libero hominis arbitrio contra Pelagianos disputabimus.

Quarto occurrit Augustinus his verbis (17): «acceptio personarum ibi recte dicitur, ubi ille qui iudicat, relinquit caussam meritorum de qua iudicat, alteri contra alterum suffragatur, quia inuenit aliquid in persona, quod honore vel miseratione dignum est. Vbi autem est commune delictum et nullum meritum, acceptio personarum nequit esse.» Et S. Thomas, ubi ait (18): «iustitia distributiva in his locum habet quae dantur ex debito, puta, si aliqui mercedem meruerunt, ut plus laborantibus maior merces detur; non autem in his quae sponte et misericorditer aliquis dat, puta si quis duos pauperes in via inueniens det vni quod potest, vel disponit in eleemosinam dare. . . . Quam ergo omnes homines propter peccatum primi parentis damnatione nascantur obnoxii; quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat: et sic quibusdam, quos liberat, est misericors, quibusdam autem iustus quos non liberat, neutrism autem iniquus.» cest. Qui bus sane nihil addendum superest.

Quinti argumenti solutio ex his, quae in secundi solutionem dicta sunt, abunde habetur. Placet tamen obiter dicere, aur ipsos sibi fucum facere, aut aliis suo hoc argumento aduersarios velle, perinde ac si sententiae nostrae summam non habeant exploratam. Quid, si Deus misertus cuius vult, non ex operibus, sed secundum consilium voluntatis suae, id est, omnino gratis, aeternae gloriae bonum quibusdam intendit? Num sine meritis obtinendum? An non ex hac ipsa gratuita, eaque efficacissima voluntate propositum conferendae gratiae oritur, seu praeparatio beneficiorum, quorum beneficio sibi aeternae vitae merita electi parent? Profecto quecumque ordinata vult, in finem prius, quam in media voleando fertur: patrum finem sine mediis vult? Iam non esset eius ordinata voluntas: quia tametsi prior sit mediis finis, obtineri tamen sine mediis nequit. Quum sit ergo recitissima, summeque ordinata Dei voluntas, ut oportet finem prius velit, quam media, gloriam priusquam merita; ita et eam meritis assequendum.

Quod sexto loco oblicitum, idem prorsus a Semipelagianis aduersus Augustinum importune iactatum saepe saepius fuit. Soluit autem Apostoli verbis ad Rom. ix: «Iam non habet potestatem filius luti ex eadē massa facere aliud quidem vas in hoporem,

aliud

(17) Lib. II. ad Bonif. cap. 7.

(18) In Epist. ad Rom.

«aliud vero in contumeliam?» Hinc Augustinus (19): «contra istam veritatis tam claram tubam quis homo sobriae, vigilantisque fidei voces vilas admittat humanas?» Itaque seclusa consideratione meritorum, ac praedestinatione absolute considerata, hanc habet caussam, ut scilicet ostendat diutias gloriae suae in vasa misericordiae. Ast comparative accepta, nempe si queratur, cur ex eadem massa vnum Deus eligit, non alterum, non aliam quam Dei benelicitum ac potestatem causam agnoscit. Nec ideo Dei voluntas irrationalis erit: imimo et illa maxime rationalis. Nam ut egregie disserit S. Thomas (20), «ex diuina ipsa bonitate praedestinationis aliquorum, et reprobacionis aliorum ratio sumi potest. Sic enim Deus omnia propter bonitatem suam fecisse dicitur, ut diuina bonitas in rebus reprezentetur, non vno licet modo, sed multiplici; nam est illa vna et maxime simplex, pertingere autem ad diuinam simplicitatem alia a Deo non possunt: quare ad vniuersitatem integratatem et perfectionem diuersi requiruntur gradus rerum, quarum alias altum, alias medium, alias infimum locum teneant in vniuerso: quam graduum varietatem Deus ut consuet in rebus, fieri mala quaedam permittit, ne multa bona impediatur. Totum itaque humanum genus, perinde ac totam rerum vniuersitatem consideremus. In eo quoad aliquos, quos praedestinat, bonitatem suam Deus voluit reprezentare per modum misericordiae parcendo, et quoad aliquos, quos reprobat, per modum iustitiae puniendo. Et haec est ratio cur Deus quosdam eligit, et quosdam reprobat, quam caussam adsignat Apostolus ad Rom. ix. Sed cur hos elegit ad gloriam, et illos reprobavit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem; sicut hunc lapidem in hac parietis parte esse, illum in alia, ex simplici artifici voluntate est, et si artis ratio habeat, ut aliqui in hac, aliqui in illa parte locentur.»

Quia vero electionis Petri ex. g. et reprobacionis Iudee non aliqua reddi ratio potest, praeter diuinam voluntatem, quoniam dubitandum, an sit illa sine consilio et ratione, siue irrationalis? Nonne Psalm. cxiii. dicitur: *omnia in sapientia fecisti?* Nonne Paulus ad Ephes. i: *operari Deum*, ait, *omnia secundum consilium voluntatis suae?* Sed de hoc arguento diximus multa.

Incommoda postremo loco posita sequitur ut diluamus, vel ob

Ss 2

hoc

(19) De Dono Perseuer. cap. 7.

(20) Prima Parte, quaest. xxiiii.

art. 5. ad 1.

hoc tantum quod a Semipelagianis Molinistae ea fuerint mutuati. Legantur Prospcri et Hilarii epistolae ad Augustinum; legantur et eiusdem Prospcri responsa ad obiectiones Vincentianas, et ad obiecta Gallorum, vbi id testatum est. Quo ergo in pretio habendae argutaciones huiusmodi sunt, quas certissime nouimus ab hominibus haereticis primum fuisse productas? Nec tamen audemus Sanctae Matri Ecclesiae iudicium usurpare, vel anteuertere. Id vnum addimus, reuereri nos ac agnoscere rectissimum Regis nostri Caroli, huius nominis III. consilium, aquissimamque legem, quies a Regni totius Scholis exulare iussum fuit, vna cum aliis consimilibus, hanc Medistarum sententiam.

CAPVT V.

*Praedestinationem ad gratiam non esse ex meritis demonstratur.
Veteres Ecclesiae Patres a labe Pelagiana defenduntur.*

Non praedestinantur ad gratiam electi ex meritorum praeclusione.

Nec quid huic catholico dogmati contrarium tradidere Veteres Ecclesiae Patres.

Prima propositio catholicae fidei definitio est aduersus Pelagianos, et Semipelagianos, quorum primi ausi sunt adfirmare, praedestinari electos ad gratiam ex praeuisis meritis sola liberi arbitrii facultate comparandis; posteriores vero praedestinari electos ob praescientiam fidei, aut bonae voluntatis, ex solo arbitrio naturaliter prodeuentum.

Constat autem propositio veritas contra Pelagianos ex Apostolo ad Rom. cap. ii. scribente: *si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.* Et infra: *quis prior dedit illi, et retribuet ei?* Constat ex Augustino dicente (1): *scimus, gratiam Dei nec parvulis, nec maioribus secundum merita nostra dari.* Constat deinde contra Semipelagianos ex definitione Conciliorum. Ita enim definitum est et in Concilio Arausiano Canon. ii, et in Tridentino Can. v. de Iustificatione. Sed et eam statuit Paulus

(1) Epist. ad Vitalem.

Ius II. ad Corinth. iii. dicens: *non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* Augustinus quoque vbi ait (2), verba Paulli exponens: *attendant hic, et verba ista perpendant qui putant, ex nobis esse fidei coeptum, et ex Deo fidei supplementum.* *Quis enim non videat, prius esse cogitare quam credere?* Ratio quoque vtramque propositionis partem confirmat: primam quidem haec: impotens est quodcumque naturale opus supernaturalia promereti beneficia: ergo quum gratia beneficium undeque supernaturale sit, a nullo naturali opere valet promereri. Secundam vero haec altera: *gratia, ut ipsum vocabulum sonat, dominum gratis collatum est: non ergo fidei, aut cuius alli operi, solius liberi arbitrii facultate patrato, retribuitur.*

Secunda propositio consulto a nobis addita est, ut Veterum Patrum, quum Graecorum, tum Latinorum ante Augustinum orthodoxiam ab omni Pelagianismi labe, atque suspicione vindicaremus aduersus Recentiorum quorundam accusations: quod ut expeditius faciamus, canones quosdam, seu generales regulas ad Veteres interpretandos apprime utiles ex Petauio (3) hic praefigemus. Primus canon est: plerumque Veteriores illos, quum de Dei gratia, ac vocazione agunt, non tam de interiore animi motione, siue illustratio mentis haec dicatur, siue etiam cordis inflammatio, quam de externo aliquo Dei beneficio, veluti Euangelii praedicatione, aut statu aliquo vitae, ad quem occulto deinde animi instinctu trahuntur, loqui. Secundus: nihil aliud eos velle, nisi Deum gratiam, et inspirationem, quam ex sola gratuita liberalitate impetriri statut, iis plerumque tribuere, quos consensuros et quo tempore consensuros esse praesciunt; non ut meritum sit ipsa consensio, sed occasio tantum et conditio. Tertius: saepe gratiae nomine eam Patres adpallare dumtaxat, quae vberior perfectiorque sit, et saluti proprijs primam autem motionem, et communem, quasi ordinarium aliquid, et minus singulare, ac velut fundamentum spiritalis aedifici praetermittere. Quartus tandem: interdum illos inchoatam et rudem adhuc gratiam perfecto salutis et aeternae vitae, hoc est, absolutae compleaque gratiae nomine significare; quod initia illa diuinae vocations, coelestisque afflatus, nisi per nos steterit, certissima nos ad salutem via perducunt.

Horum priores tres canones seu regulae ad Graecos potissimum Pat-

(2) Lib. iv. de Praedest. cap. 4. (3) Theol. Dogm. de Praed. lib. ix. cap. 4.